

Nf 14





DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
D E C I M A,

QVA  
DOCTRINA EVANGELICA  
DE

**CHRISTI INTER-  
VENTIONE, MERITO  
ATQVE INTERCESSIONE  
AC SUBSTITUTIONE,**

A VIRI CL. PETRI POIRETI  
ERRORIBUS AC CORRUPTELIS  
VINDICATUR:

IN REGIA FRIDERICIANA

*Die Jan. hujus M DCC XX anni*

SUB PRÆSIDIO

**D. JOACHIMI LANGII,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.

in actu disputationis publico defensa

A RESPONDENTE

**JO. WILHELMO HARTMANNO,**  
TANNENSI FRANCO, S. LITT. CULT.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ.

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.



DISSERTATIONUM ANTIQVARIARVM

DE CIMA

DOCTRINA LANGVIA

CHRISTIANITAS

VENTIONE MERITO

ALIQVA INTERCessione

AC SUBSTITUTIONE

ANCIENNI PORETTI

ERRORIBVS AC CORRECTIONIBVS

IN REGIA BIBLIOTHECA

ANNO MDCCXX

D. JOACHIM LANGVIA

JO. WILHELMO JAKTMANN

JOH. JOH. FRIEDRICH KROTTENDORF







SECTIO PRIOR  
CONTINENS  
DISQUISITIONEM CAPITIS V.  
L. III. OECONOMIAE POIRETIANAE  
p. 646. seqq.

Locus I. §. VIII. p. 650.



Uperest una & sola prerogativa homi-  
nis, quæ in diabolo non adfuit: De-  
us scilicet filius Adami & hominum  
omnium, qui ex Adamo nasci debe-  
bant, frater factus fuerat, assumit  
nimirum jam inde ab initio ex primo  
hoc homine tum anima tum corpore,  
quo cum hominibus visibili modo con-

versaretur per organum sacratissime hujus humanitatis, quæ  
quidam veluti tubulus erat ac canalis divinarum gratia-  
rum atque communicationum. Veritatem hanc supra (Oe-  
conom. peccati cap. XI. n. 15.) ostendimus; infraque (cap.  
XVI. n. 3. & c.) argumentis firmissimis ita confirmabimus, ut  
nemo eorum qui perspicua mente valent, eam in dubium sit  
vocaturus. Hic ergo Homo - Deus [θεάνθρωπος] ipsissimus is  
Liberator est, cujus sacratissima humanitas se totam, corpus



que pariter & animam, obrulit, ut Divinitatem moveret, ut cooperationem hominis deficientem suppleret, ut demeriti ejus veniam obtineret, ut gratiam omniaque ad hominis reparationem necessaria impetraret. Atque per ejusdem Interventionem ac meritum infinitum Divinitas commoveri se passa est, datura propter eum omnia, que ipse pro homine efflagitavit.

Illis, qui non credunt, eum qui in sacris appellatur Filius hominis & Adamus aliter, jam tum exstitisse, hoc est, Verbum divinum humana natura jam tum unitum fuisse, hæc & que sequentur, interpretari licebit sensu retro-agente, ut ita dicam, quo scilicet cause efficacia ante adualem cause ejusdem existentiam jam consideratur, ut sit, verbi gratia, quando quis commovetur per considerationem cause nondum quidem exstantis, sed quam tamen certo exstituram cognoscit, quamque veluti jam nunc presentem considerat: que agendi ratio Deo infrequens non est, qui multa innumera, que nondum existunt, veluti jam tum presentia considerat. Nos in sequentibus verba nostra accommodabimus is, qui credunt Jesum Christum jam tum humanam naturam induisse, que sententia & nostra est & Veritas ipseus; vere enim ille jam tum, non dico incarnatus erat, ut vocem hanc unioni seu assumptioni carnis corruptibilis ac mortalis significandæ relinquamus; sed corpus sibi gloriosum animamque divinam ex Adamo adsererat, quibus intervenientibus pro homine apud Deum intercessit.

### Disquisitionis hujus loci.

I. Prolixum & verborisimum Pireti sermonem a capitis quinti initio usque ad paragraphum VIII, brevitate causa omisi; inprimis cum nihil contineat, nisi spe-



SECTIO PRIOR.

speciosum, at inanem, aditum ad præsentem materi-  
am. Quæ enim in eo a vero sunt aliena, partim jam  
tum in aliis Dissertationibus discussa sunt, partim ab  
Auctore deinceps vel decies recurrent, ταυτολόγως re-  
petita, & sub examen vocanda.

2. Negaverat Auctor in antecedentibus, solam  
*bonitatem* Deum movere fatis ad restitutionem hominis  
ob intercedens ejus *demeritum*: negaverat, Deum in-  
sultatione diaboli, quasi de effecto lapsu triumphan-  
tis, inductum fuisse ad humani generis reparationem.  
Hisce negationibus nunc §. VIII. subjungitur hæc affir-  
mativa positio: *Superest una & sola prærogativa hominis*:  
quam deinde cum intercessione Filii Dei conjungit.  
Et hoc est, quod nunc disquisitionem requirit.

3. Auctor hic repetit Burignonianum suum  
commentum de *ἰσοαρμόσις* Filii Dei priore, qua ex A-  
damo jam tum ante lapsum gloriosum corpus assum-  
ferit: & in hoc ipso collocat fundamentum restituen-  
di humani generis. Jam vero istud integra Dissertati-  
one IX. tanquam ἀγγραφον & ἀντίγραφον, immo & ἀλο-  
γον, destructum est. Ergo si huic arenæ inniteretur  
universæ reparationis structura, tota collaberetur, im-  
mo esset nonens. Videt lector, in quæ discrimina ac  
præcipitâ principia Poireti universam religionem  
christianam apud scepticos & empæctas adducant.

4. Et in hac fictione sua adeo præfidens est Au-  
ctor, ut eam non dubitet hoc effato exornare: *Veri-  
tatem hanc supra ostendimus, infraque argumentis firmis-  
mis ita confirmabimus, ut nemo eorum, qui perspicua mente  
valent, eam in dubium sit vocaturus.* Utrumque locum  
Dissertatione IX. ex instituto examinavi, demonstravi-



que, quod opinor, cum convictione ad cuiusvis lectoris conscientiam, in argumentis Pireti ne ullam quidam veri micam inesse, esse vero in iis inepta omnia, viro docto indignissima. Quæ cum ita sint, satis mirari nequeo illam Auctoris nostri *ἀοθάδειαν*, qua non dubitavit argumenta sua vocare *firmissima*, ac gloriari, dogma illis adstructum a *nemine eorum, qui perspicua mente valeant, in dubium vocatum iri*. Unde lector prudens videt, quo in statu cum Oeconomiam suam scriberet, ipsius mens fuerit. Non quidem ipsi e dotibus Dei naturalibus defuit mens perspicua, seu perspicax; sed ejusdem aciem inconsulto Burignoniani perspicilli usu ipse adeo hebetavit, ut pro *vera & bene ordinata Operum Dei Oeconomia* christiano orbi exhibuerit *confusum* doctrinæ christianæ, multis in partibus corruptæ, *chaos*; salvis tamen veritatibus, quæ errorum farragini passim immixtæ sunt, nec a me vlllo modo suo, quod per se habent, pretio minuuntur.

5. Oblationem illam, quam Auctor hic Christo tribuit, nequaquam esse *ἱλαστικὴν*, manifestum est e negata Dei justitia vidice, proprie sic dicta, & negato peccati reatu, nec non e negata virtute sacrificiorum piaculari; quemadmodum in præcedentibus Dissertationibus vidimus.

6. Et pseudevangelicus hic oblationis sensus haud obscurus etiam hic est in eo, quod oblationem ponit non in *satisfactione forensi, & expiatione*, sed in *persuasione quadam morali*, ad cooperationem hominis deficientem supplendam. Et demeriti veniam, qualem Auctor statuit, ab apostolica veritatis hypotyposi alienissimam esse, posthac in vindiciis doctrinæ de *justificatione*



## SECTIO PRIOR.

7  
cacione videbimus. In qua cum gravissime erret, ideo nec genuinum habet sensum in verbis de gratiæ & eorum, quæ ad hominis reparationem necessaria sunt, imperatione.

7. Fictitia oblatio fictitiam constituit interventionem & fictitium meritum, a merito illo, quod Differtat. VII. & VIII. ad normam verbi divini descriptum est, alienissimum.

8. Quæ de incarnatione Christi Adamica hic repetuntur, per se concidunt, teste Dissertatione nona.

9. Supra, uti in modo dicta Dissertatione vidimus, Auctor ipse sponte sua negavit, Adamicam illam *Filii Dei ἐνορέωσιν* antehac ulli mortalium fuisse cognitam, e contrario adserens, illam demum suo tempore per magistram suam, Burignoniam, tanquam electum Dei organum, orbi christiano esse patefactam. Sed hic sui oblitus scribit, se verba accommodaturum iis, qui credunt, *Jesum Christum jam humanam naturam induisse*; addens: *quæ sententia & nostra est & veritatis ipsius*. Aut hæc manifestam produnt contradictionem, aut falsam persuasionem, orbem christianum lumen illud Burignonix factuum, etsi vix recens exortum, jam tum passim in sui illuminationem recepisse.

10. Quocunque nomine vocaverit Auctor priorem illam *ἐνορέωσιν*, infelix Burignonianæ phantasiæ foetus est, ab ipso infelicius adoptatus & theologicæ eruditionis habitu exornatus, sed per se nonens.

11. Quæ locum hæcenus excusum in Oeconomia proxime sequuntur, lubens omitto, tanquam supervacua, & inanem sequentium indicem.

Locus



SECTIO PRIOR.  
Locus II. Oecon, L. III, c. V. §. IX.

p. 651.

Ut a persona & ab interventione, sive mediatione Jesu Christi initium faciamus, nullum est dubium quin utraque meritum infinitum habeat. Meritum voco eam persone cujusdam aut actionis qualitatem, cui juste denegari non possit, quæ ipsa requirit aut desiderat; infinitatem autem meriti dico qualitatem eandem, quatenus tam digna est, tam ingens, ut quidquid persona flagiter desiderare, nullo iure ei denegari debeat, quocumque ea sese in desiderando velit flectere. Quod si ergo JESUM CHRISTUM ratione humanitatis suæ consideremus, ille cum Deo personaliter unitus erat. Deus enim sibi adsciverat, tanquam peculiare objectum deliciarum suarum, (quæ sunt Prov. 8. v. 13. versari cum filiis hominum,) tanquam Templum aut Sanctuarium (sanctum sanctorum) Divinitatis suæ, tanquam singulare organon suum ac instrumentum, verbo, tanquam corpus animamque suam. Filius hic dilectus quantum quantum, penitus a Deo absorptus erat ac penetratus: neque vel intelligentiam, vel voluntatem, vel amorem, vel propensiones ullas habebat nisi pro Deo & ad divinam ejus voluntatem implendam, etiamsi ut Patri suo placeret semetipsum ad nihilum (ut sic dicam) redigere deberet, quippe in Patris voluntate nutrimentum ille suum deliciasque omnes inveniebat. Quæ cum ita sint, quæram ego, qua specie justitiæ æquitatisque rejici a Patre queat deprecatio Filii tam chari, tam digni, qui cum ipsissima sit sapientia non nisi quæ & possibilis erunt & maxime decora, imo non nisi quæ Patris sui gloriam maxime erunt promotura, desideraturus est? Justitia Dei utique volebat deprecationem persone hujus dignissime & divinæ, Dilecti inquam Filii sui, Patris Gloriam unice querentis, non repudiari. Atque adeo  
Filius



SECTIO PRIOR.

9

*filius hic ejusque interventio, omniaque que gerebat gesturusve erat, preces ejus, tum presentes, tum futurae, quas habebat habiturusve erat, cura ac sollicitudines, quaeque postea secuta sunt, adventus scilicet ejus in terram, vitaque mortalis & ipsa ejus mors, denique omnia, quae facturus erat, statusque ac instantiae omnes quibus se immixturus erat, verbo, persona, ejusdem actionibus suis omnibus & singulis juncta, tantum meritum habebant, ut Dei justitia in iis contenta acquiesceret, utque Deus ex aequitatis praescripto nihil quicquam eorum, quae forte ab eo expetiturus erat, denegare ei posset. Namque revera justum erat Deoque dignum & decens, ut omnia ei concederet; ac quicquid optaret postularetque Filius, id faceret evenire. Et hoc quidem primum est justitiae principium. Justitiae itaque satisfieri eum in modum poterat per meritum. Videamus vero quomodo Jesus Christus intercesserit, quidve etiam rogerit.*

Disquisitio hujus loci.

1. Falsa est Poiretiana illa *meriti* descriptio, utpote a notione satisfactionis forensis alienissima. Itidem falsa est *infinitatis* notio, quandoquidem non relata est ad *justitiae vindictam* infinitatem, sed in sola personae infinitate subsistit.

2. Portentosa sane est locutio, *Jesum Christum respectu humanitatis suae cum Deo personaliter unitum fuisse*. Dei enim nomine auctorem hic intelligere personam Patris, verbis *apertis* sequentibus declarat: *Deus*, inquit, *eum sibi adsciverat*, tanquam peculiare objectum deliciarum suarum Prov. VIII, 31. tanquam templum aut sanctuarium divinitatis suae, tanquam singulare organon suum ac instrumentum, verbo tanquam corpus animamque suam.

B

Et



Et si vel maxime *Dei* nomine hic intelligeret *divinam* Christi *naturam* (quod quidem non permittit allegatus locus Prov. VIII, 31.) incommodum tamen est, dicere, Jesum Christum personaliter cum Deo fuisse unitum, quia unio personalis non est Jesu Christi & Dei sed utriusque naturæ in Christo Jesu.

3. Auctorem etiam in doctrina de Deo & tribus divinitatis hypostasibus, etsi a Socinianis & Arianis dissentiat, aliquid monstri alere, vel ex illis etiam verbis colligas, quibus ita pergit: *Filius hic dilectus quantum quantus a Deo absorptus erat & penetratus &c.* Saltem monstrosas esse has locutiones, nemo non videt. Sic qui locutiones theologorum ecclesiasticas in sensu biblico usurpatis fastidit & passim explodit, singularis *τρεατολογίας* magister est, ipsis antiquis illis & spinosis scholasticis non raro spinosior & confusior.

4. *Deprecatio*, quam hic in negotio salutis Filio tribuit Auctor, ne hilo quidem est melior commento illo, quod de illa fingunt Sociniani; utpote a satisfactionis notione plane sejuncta. Quæ falsa ejus natura, per se jam e Dissertationibus antecedentibus conspicua, se deinde adhuc evidentius exseret, proditura, nil nisi pseudevangelici sensus verba habere locum supra allegatum.

5. Quandoquidem nos Auctor verbis loci ultimis ad attentionem de cognoscendo intercessionis modo excitavit, euge consideremus istum!

### Locus III. ibid. §. X.

*Filius Dei, tantam cladem fratrum suorum, hominis inquam, totiusque generis humani, immane quantum dolens, videns-*



SECTIO PRIOR.

II

vidensque nullis cum gratis, quales quidem in creatione fuerant, revocari potuisse, per ardentissime charitatis suamagnitudinem non potuit quin doloris gravitate veluti convictus Majestatem Patris, peccatoris hujus ingratisimi prævocatione obstinata lesam, ac contentui habitam, supplex veneraretur, omnibusque quas potuit instantiis ac considerationibus propositis placare eum ac movere conaretur, ut omnipotentem bonitatem suam in hominem efficacissime ac largius atque in Creatione fecerat, refunderet atque ita miserimum hunc, cujus infelici ruina toto corde summopere afficiebatur, repararet.

Disquisitio hujus loci.

1. Omisi studio sermonem paragraphi §. X. allegatis verbis præmissum, cum in eo nihil occurrat, nisi quod Filius Dei ex affectu commiserationis lapsi hominis vicem doluerit. Ubi tamen locum apoclypticum: *Agnus jam inde ab initio mundi occisus* c. XIII, 8. perperam de illa Christi *συνπαθεία* explicat. Nam verba a fundatione mundi non construenda sunt cum vocibus *agni occisi*, sed cum verbis: *quorum nomina non scripta sunt in libro vite.*

2. Verborum vero de Christi *intercessione* allegatorum nervus in se totus est Socinianus, a forensi substitutionis & satisfactionis proprietate penitus abhorrens, & pro reconciliatione tantum donationem & infusionem charismatum intendens.

3. Paragraphus XI. rem tractat alienam, nimirum quæstionem: *utrum beati peccatorum statu miserabili moveri & affici queant?* Id quod ita affirmat Poiretus, ut applicationem faciat ad ipsius Christi *συνπαθείαν*: *Ad eum*



## SECTIO PRIOR.

*eum modum, inquit, ergo Jesum Christum propter hominem peccatorem contristatum fuisse arbitror. Quæ comparatio lubrico nititur fundamento.*

4. Paragrapho XII. & XIII. id agit, ut *συναδείας* & sollicitudinis istius magnitudinem ostendat, facta comparatione sollicitudinis Christi cum sollicitudine Davidis pro Abschalomo, & Mosis pro rebeli populo Dei. Quæ omnia bene se haberent, si satisfactioni essent subordinata; sed cum sensu ponantur exclusivo, hic in se Socinianus est, etsi Sociniani aliis respectibus in diversum abeant.

5. Ut vero Auctor ipsum intercessionis nervum, qui in *satisfactione* est, eo majore cum veri specie negare posset, §. XIV. XV. XVI. & XVII. negat & pernegat *justitiam Dei vindicem*, ejusque forensam proprietatem, eam præterea cum sapientia, ratione directionis & ordinationis, quæ in operum Dei oeconomia est, indigne confundens, & nihilo tamen minus suam hanc notitiæ de justitia Dei depravationem *legitimam* & *exactam divine justitiæ regulam* ex Oeconomia sua imprimendam vocans. Sed hoc ipsum est *πρότερον* illud Poiretiani systematis *ψευδος*, quod integra Dissertatione II. ex instituto disjeci. Audiamus tamen etiam hic, quomodo corrupta justitiæ notio ad corruptionem ideæ de satisfactione tendat.

Locus IV. *ibid.* §. XVIII. p. 660.

*Ut autem divina hec bonitas operationes suas erga homines, quas justitia abruperat, iterum ordini posset, non indigebat utique, non magis atque ipsa justitia, ut creaturarum doloribus sibi satisfaceret. Poterat enim illa vires suas denuo*



## SECTIO PRIOR.

13

denique exereere nota videlicet considerationibus nonnullis, quibus Deus, justitia sua sic volente, nihil denegare queat. Deus utique non minus juste agere poterat cum Christo Jesu, quam cum hominibus agere voluit. Quod si ergo justitia Dei permittebat, homini bona omnia quæ vere ac serio eligere voluerit, conferri, ac omnia ad quæ animo ferri poterat, rata esse; eadem profecto Jesu Christo denegare non debebat, ut rata essent ipsique darentur quæcumque ipse vellet. Atqui Jesus Christus volebat hoc sibi gaudium accidere, ut hominem a calamitate sua liberatum videret; volebat hoc sibi dari, ut ipse hominis Liberator, Ductor ac Servator esset; volebat eam sibi lætitiâ, eam voluptatem dari, ut Deum scilicet ab homine iterum cognitum, amatum, laudatum glorificatumque videre posset. Itaque justitia Dei hoc non tantum non poterat impedire: sed & exigebat voluntatem hanc atque electionem, id ad quod Jesus Christus amorem, afflictiones ac desideria sua omnia plenissime converterat, accidere, atque eidem non denegari. Hoc ipsum autem & veniam homini datam, & donationem gratiæ Dei simul comprehendit. Et hoc quidem modo justitiæ divini per Jesu Christi interventionem penitus satisfactum est, illaque jam penitus contenta consensit, Deum homini peccatum remittere, eumque in gratiam recipere propter mediationem Dilecti sui, cui certe sine injuria denegari non poterat rati habitio eorum, quæ omnibus animæ suæ facultatibus anhelabat.

Itaque justitia Dei cursum divinarum operationum, quibus bonitas ejusdem in hominem se profunderet, non amplius propter hominis demeritum impediēbat: hoc est, Deus considerationem indignitatis hominis præteribat, sive culpam atque reatum peccati condonabat, idque propter Jesum Christum, seu propter meritum personæ ejus divini, adeo Deo unite,

B 3

adeo



## SECTIO PRIOR.

adeo a Deo amata, tanto amore Deum & honorem Dei anhelantia, cuique nihil jure denegari debebat. Hoc sensu, solum meritum Jesu Christi, justitiæ Dei satisfecit; nec quisquam alius præter ipsum sive in Cælis sit, sive in terra, eadem significatione mereri potest aut satisfacere.

Præter hanc satisfactionem Christi respectu Dei, duplicem aliam in sequentibus adhuc detegemus, una, quæ erit pariter Satisfactio Christi, sed ad hominem relata: altera vero hominis erit, & ad Deum pertinet: quarum jam hic mentionem injicere placuit, ne deinceps confundantur.

## Disquisitio hujus loci.

1. Non quæritur: an divina bonitas, æque ut justitia, indiguerit creaturarum doloribus ad satisfactionem? Hæc enim absorta est quæstio, tantum ad fallendum, & quod clarum est, obscurandum, proposita: sed quæritur: an in Deo præter sanctitatem, qua is hominem sui desertorem, tanquam *βδελουγία* deserit, & sibi ipsi relinquit, etiam sit justitia vindex, quæ, sine ulla egestate, seu dolorum in creaturis indigentia, pro natura sua immutabili peccatoribus pro ratione delicti pœnam infligat, etiam positivam, nisi ipsi per compensationem vicariam, in obedientia Christi activa & passiva positam, satisfiat? Hoc est, quod negat Poiretus cum Socinianis omnibus, & quod adversus ipsum ac hosce ex instituto adstruxi integra Dissertatione II. & quod sequentibus Dissert. uberius declaravi.

2. Corrupta illa est justitiæ idea, quam Auctor, uti in divinorum operum ordinatione, ita etiam in electorum bonorum concessione & approbatione ponit. Et eo est corruptior, quo magis est exclusiva, veram



## SECTIO PRIOR.

15

veram justitiæ formam penitus excludens, eamque cum prudentia operum oeconomica & cum ipsa gratia confundens.

3. Et hæc justitiæ cum gratia confusio indignissima est in officio Christi *ἰλαστικῶν*; utpote quod hic ita descriptum videas, ut novum plane conspicias evangelium, ab eo, quod Differt. V. VII. & VIII. ad normam scripturæ sacræ integris invictorum argumentorum agminibus productum ac demonstratum est, diversissimum, ideoque nequaquam admittendum.

4. Et in depravata hac justitiæ & officii Christi descriptione Auctor tamen aliquoties utitur vocibus *satisfactionis* & *meriti Christi*, ad justitiam Dei relatis, item *reatus peccati*, per *satisfactionem sublari*, sic, qui cum Socinianis re convenit ipsa, phrasologia ab ipsis dissentiens.

5. Scriptura Sacra nescit triplicem Christi *satisfactionem*, sed unam tantum, qua justitiæ Dei vindici facta est compensatio vicaria, commendat. Quam unam cum negat Poiretus, triplicis satisfactionis, ab ista plane abhorrentis, hypothesei triplicem errorem prodit.

## Locus V. §. XIX.

*Causæ moventes, quibus Christus ad intercessionem faciendam inductus est, fuerunt hæc: primo ut gloria Dei per manifestationem potentiæ bonitatisque ejus illustraretur, tum ut demones in blasphemis suis atque malitia confunderentur: tum quod hominem fratrem suum ex infirmitate & precipitantia captum videret; quod salutem ejusdem, unæ glorificatio Dei resultare debebat, amaret; denique, quod divina confidentia ac fide plenus, amori Dei erga divinam personam suam*



*suam totus inmitteretur, quæ certe Deo cara erat, & ad supremum & excellentissimum dignitatis gradum, qui usque dari potest, ab eo provecta fuerat. Quæ omnia & singula cum maxime Christo essent cordi, hisque ille moveretur, eadem & Deo exhiberet, fieri non poterat quin Deus ea & probaret, consentiretque, ut finem suum, propter quem dilectus ejus illa ei exposita voluerat, attingerent.*

#### Disquisitio hujus loci.

1. Salva res esset in enarratione causarum, quæ Christum ad intercessionem moverunt, modo ipsa intercessio recte fuisset descripta. Ipsa tamen etiam causarum istarum recensio non est sine defectu; quandoquidem justitiæ Dei vindicis, unde intercessionis particularis necessitas cognoscitur, mentio facta est nulla; sed ista potius negatur.

2. Homines primos ex infirmitate & præcipitantia lapsos esse, est hypothesis Sociniana, quæ ad lapsus extenuationem tendit. Sibi autem ipsi contradixit auctor; siquidem supra §. X. Adamum vocat peccatorem ingratisimum, qui Dei majestatem prævaricatione **OBSTINATA** læserit. Reliqua hujus loci facile e jam dictis dijudicantur.

#### LOCUS VI. §. XX.

*In causis his moventibus recensendis, omitti merito non debet dolor ille spiritualis, isque immensissimus, quo Christus tantum non opprimebatur, quando, Deum offensum esse, hominemque simul periisse vidit. Diceres, Deum per justitiam suam in homine peccatore porro operari non posse, quin videretur peccatum ejus approbare; at tantus persone hujus divi-*



SECTIO PRIOR.

17

*ne dolor satis aperte contrarium declaravit, nempe Deum peccatum omne infinito odio abominari. Atqui Divinus ille dolor cum suspicionem omnem eam a Deo amoveret, hoc ipso non parum movit Deum, ut homini beneficeret, quo simul & Filii sui Dilecti mœrores in gaudia mutaret; justum enim utique erat, dolores gravissimos ex amore Dei divineque glorie venientes, summis & contrariis gaudiis compensari. Atque ita videmus jam tum per meritum doloris Filii Dei, sive per meritum Jesu Christi patientis, justitiæ Dei satisfactam fuisse. Non puto tamen necessarium esse, ut ubique inculcem repetamque hæc, quæ diximus a multorum præjudiciis longissime abesse, imo & iis reformandis servire.*

Disquisitio hujus loci.

1. Christum e solo *συναδίας* affectu erga lapsum genus humanum dolorem sensisse immensissimum, est commentum, quod e negata peccatorum nostrorum imputatione & vicaria expiatione resultat, de quo supra.

2. Auctorem nostrum vocibus, per novam plane nomenclaturam a significatione propria detortis ludere, inter alia in nominibus *justitiæ & satisfactionis*, jam antea observatum est. Quam ineptam & in ipsum Christum iniquam ideam idem de ipsius *perpersionibus* sibi formaverit, aliisque obtrusum eat, peculiari, seu duodecima, Dissertatione videbimus.

3. Et hunc iptum sensum *justitiæ, satisfactionis & perpersionum*, haud genuinum esse, sed novitium & fictitium, haud obscure prodit Auctor, quando præsentem locum his concludit verbis: *Non puto necessarium esse, ut ubique inculcem repetamque, hæc quæ diximus multorum præjudiciis longissime abesse, immo & iis reformandis inservire.* Sic alma totius orbis christiani veritas, quæ

C

tantis



## SECTIO PRIOR.

tantis gaudet præfidiis, ut in superioribus Dissertationibus integra invictorum augmentorum agmina potuerit producere, Auctori nostro, Burignonianis præjudiciis plane in transversum acto, nil est nisi præjudicium, cui reformando deformia sua neothelogumena apta esse pro *advocata* sua arbitratur.

## Locus VII. §. XXI.

*Quarto supra observandam esse diximus ipsam Christi petitionem, quæ tria complectitur; primo, ut Deus indignitatem aut demeritum hominis non respiciat: tum ut ad primitivum decretum suum, quod in homine creando intenderat & exequendum voluerat, redeat; eademque operationes bonitatis suæ homini conduplicet: denique ut Christo hominis curandi dirigendique provinciam concedat, eumque ipsi Caput atque Ductorem constituat.*

## Disquisitio hujus loci.

Nullum in triplici hoc intercessionis respectu est vestigium veræ ejusdem formæ ac constitutionis, quæ in satisfactione consistit. Quæ ommissa Auctor suæ, ac simul Burignonianæ, indulgens imaginationi, fingit ac refingit, quæ eidem sunt consentanea.

## Locus VIII. ibidem.

*Atque Deus ista tria Christo modis omnibus & quoad fieri poterat plenissime ac perfectissime ad salutem hominis concessit: in quibus etiam nonnulla memoratu dignissima notanda occurrunt. Primum quod diximus, Deum videlicet hominis demeritum non respicere, fundamentum est cui Dei Longanimitas erga hominem peccatorem immititur. De secundo & tertio in subsequenti capite agetur. Hæc tria autem conjuncta proprie consti-*

tuunt



SECTIO PRIOR.

19

tuunt GRATIAM, quam vocant REPARATORIS. Ubi observabimus, eadem omnino esse quæ homo perdiderat; quæque nunc propter Christum, majore tamen divinæ potentie atque bonitatis augmento (ut ita dicam) conspicua, eidem redonantur.

Ditquisitio hujus loci.

1. Non apostolica, nec evangelica, sed magna ex parte chimerica, est illa GRATIAE idea, quam pro vera ejus forma ac indole orbi christiano, ipsum reformaturus, obtrudere laboravit Poiretus. Vera gratiæ evangelicæ indoles ac magnitudo cognoscitur e doctrina de *justitia Dei vindice*, nec non ex ea de *peccati culpa & pœna*. Utramque vero, uti supra demonstratum est, cum neget Auctor, mirum non est, ipsum pro vera gratia imaginari aliquod gratiæ simulacrum commendare. Vera gratiæ indoles quamnam sit, Dissertat. VII. & VIII. edisserui. Plura dabunt Dissertationes de Justificatione.

2. Quæ hunc locum in Oeconomia proxime sequuntur, per se vitio non laborant, modo ex parte Poireti genuinum haberent sensum.

LOCUS IX. §. XXII.

Conditiones quas Jesus Christus deprecationi suæ apposuit, negligende non sunt, eadem scilicet quas Deus gratiæ homini factæ adjunctas voluit, quasque Christus pro hominibus acceptans, ipsorum nomine ab iisdem implendas stipulatus est atque promisit: quæ causa est quamobrem fidejussor seu sponsor eorum appellentur. He conditiones volunt, ut homo omnibus, quibus se dederat cum a Deo desisteret, renunciet, ejus quidem renunciationis necessitatem in omnibus suis partibus, quantum ad libertatem, facultatesque tum divinas, tum animales, & objecta ipsa



## SECTIO PRIOR.

*ipsa, supra (cap. I. II. III.) demonstravimus. Hæc autem una comprehendunt & perpeſſiones homini imminentes, & Satisfactionem, quam Deo juſte debebat homo, non quidem ſenſu eodem, quem modo vidimus, quaſi coram Deo veniam ſibi ac gratiam mereri debeat: verum ut ſatisfaciat conditionibus quas juſte (aut per juſtitiam ſuam) Deus eidem impoſuit, quo gratia per Chriſtum acquiſita fruatur. Quarum rerum accuratorem tractationem ad caput proximum remittimus, ubi difficultates hic forte occurrentes reſolventur.*

## Diquiſitio hujus loci.

1. Ingens eſt doctrinæ de *ſponſione* Chriſti corruptio, quando Auctor ipſam in eo ponit, quod Chriſtus hominum obſequium Patri ſuo ſponſerit: cum in eo conſiſtat, quod foro juſtitie vindicis plenam ſatisfactionem, eamque vicariam, loco perſiti humani generis obtulit, in tempore aliquando perficiendam. Cujus quidem fructus, ſimul ad applicationis ordinem pertinens, eſt renuntiatio peccati & obſequium novum. Athunc fructum ſponſionis ad ipſius formam referre, eſt novum effingere evangelium, Socinianiſmo magis conſentaneum, quam doctrinæ apoſtolice.

2. Nec probandus hic eſt uſus *ſatisfactionis* de ſalutis ordine adhibitus, cum is unice ad meritorium ſalutis *fundamentum* pertineat, a Chriſto poſitum.

3. Accuratorem harum rerum tractationem Auctor promittit quidem, at non præſtat, nec præſtare potuit, cum e falſiſſimis, quæ habet, principiis non niſi falſæ conſuſiones & ſolutiones erui poſſint.

## Locus X. §. XXIII.

*Quod attinet ad ſpecialiora, quæ Chriſtus Patri ſuo obtulit, homini que poſt divinam gratiam recuperatam conferenda promiſit;*



SECTIO PRIOR.

21

*misi; ea confestim in hoc, quod semet ipsum obtulerit, qui paratus sit hominem gubernare, instruere & in omnibus vis suis veluti manuducere: quo factum est, ut vicissim Deus Christo absolutum jus potestatemque in hominem concesserit, eum ut instruat, corrigat, animet, verbo, ita cum eo agat, quemadmodum voluerit.*

Disquisitionis hujus loci.

1. Quid hoc est aliud, quam Socinianum profiteri ac simul in crustare & exornare errorem, quo, officio Christi sacerdotali hilaistico plane negato, omnia referuntur ad officium ejus propheticum perperam intellectum, cui Auctor hic jungit regium, sed non sine corruptelis.

2. Christus se obtulit in victimam pro peccatis piacularem. Hæc Pauli & reliquorum apostolorum mens est, Dissertatione VII. & VIII. & antea Dissertatione V. abunde demonstrata. Christum vero sese obtulisse, qui homines gubernare & instruere & manuducere velit, est redemptionem ejus cum Socinianis (etsi hi intercessionem talem, qualem ipsi Poiretus post confictam *in ordine* Adamicam tribuit, non statuunt) referre ad officium ejus propheticum & regium male intellectum, sacerdotali, ut jam monui, negato, saltem penitus depravato.

3. Quæ §. XXIII. præterea sequuntur, huc non pertinent.

4. Istud vero prudentioribus mirum est, quod Auctor eundem paragraphum, totumque caput V. his concludit verbis: *Quæ dixi pleraque totidem fere verbis Scripturæ inculcantur; neque id ignorant, quotquot Scripturæ studium vel mediocriter attigerunt. Imo spero, veritates a nobis traditas ad scripturam sacram recte intelligendam non parum iis adjumentum allaturas esse. Qui in studio Scripturæ hermeneutico vel mediocriter versati sunt, mirantur Poiretianam in eo*



imperitiam, eamque habent pro præcipuo tot aberrationum principio; tantum abest, ut ex Oeconomia Auctoris multum adjumenti ad rectam scripturæ intelligentiam sibi polliceri queant.

5. Hæc hæctenus de capite V. L. III. Progredi nunc debebam ad ea, quæ in sequentibus hujus libri capitibus ad præsentem materiam pertinent. Sed revocor ad examen nonnullorum, quæ ex capite antecedenti quarto, quod Auctor de *liberatione hominis per Dei bonitatem possibili* inscribit, huc omnino sunt referenda, & ita comparata, ut quam clarissime ostendant, interventionem illam, quam Christo tribuit, & cujus *voûé* hæctenus vidimus, a sensu evangelico & apostolico esse alienissimam. Discussionem vero hanc harum capitibus IV. corruptelarum discussioni capitibus quinti præmittere haud potui commode, cum ista capitibus quarti materia, quæ in posteriore ejus parte proposita est, ordine naturæ, materia capitibus quinti sit posterior, certe hujus sensum pseudevangelicum in apicem producat.

## SECTIO POSTERIOR

CONTINENS

DISQUISITIONEM PARTIS POSTERIORIS  
CAPITIS IV. L. III. OECON. POIRET.

Locus I. §. XV. p. 640.

*Altera ratio, quamobrem veritates hæc diligenter notari velim, hæc est, ut homines contra noxium quendam errorem aliquorum Scholasticorum præmuniantur, qui otium suum in eo tantum collocasse videntur, ut carni amorique proprio præsidia quaererent, quibus ab omni incommodo immunes præstarentur. Hi tradunt, cum peccatum pœnas mereatur sempiternas, que a nobis*



SECTIO POSTERIOR.

23.

*nobis, siquidem aliqua salutis spes superesse debeat, ferri non poterant; hinc necessarium omnino esse, ut liberator futurus eadem penas persolvat, & quidem gradu aut mensura infinita. Quod amoris proprii figmentum carni non parum adulatur ac favet. Sed vidimus jam principium seu Antecedens esse falsum: idemque de consequenti confestim ostendimus: hoc enim ad alterum illud quod in pena peccati considerandum superest pertinet.*

Disquisitio hujus loci.

1. Jactata Poireti veritates sunt falsa ejus hypotheses de *justitia Dei vindice* & de *pœna peccati* supra Dissert. II. III. IV. considerata.

2. Sententia de pœna peccatoribus vi justitiæ Dei vindicis irroganda, sed a redemptore per surrogationem suscepta & ablata, est veritas evangelica immotis argumentorum præditiis suffulta & omnium ecclesiarum confessione recepta. Quam quando Poiretus vocat *noxium errorem* quorundam scholasticorum, otium tantum in eo collocantium, ut carni amorique proprio præsidia querant; item, amoris proprii figmentum, quod carni non parum adulatur ac favet; pro argumentatione adhibet criminationem, prodita simul purioris doctrinæ ignorantia non exigua.

3. Antecedens, quod Poiretus falsum vocat, verissimum esse, Dissert. II, III & IV. evici. Atque ita etiam consequens perstat immotum.

LOCUS II. §. XVI.

*Monuimus enim supra, præter pœnæ durationem de ejusdem abolitione etiam disciendum esse: ubi æterna veritatis axioma hoc asseveranter inculco, videlicet, impossibile omnino esse, ut pœna peccati per surrogationem, aut substitutionem alterius, non dico meritoriam aut intercessoriam, sed exentoriam, qua alius pro*



pro peccatore supponi debeat, aboleatur. Hoc est: Fieri nulla ratione potest, ut peccator a peccati pœna ita absolvatur, ut alius pro alio, cui illa infligenda erat, sese offerat, ac peccatore pœnæ eius necessitatem in illum transferente, eam alter, peccatore ipso exempto, in se suscipiat. Hoc inquam omnino & absolute est impossibile, sive ad Dei justitiam, sive ad ipsum peccatorem, sive denique ad Liberatorem respiciamus.

### Disquisitio hujus loci.

1. Æternæ illud veritatis axioma, quod Poiretus tam afferenter inculcat, est arrogantis animi effatum, uti e Dissertationibus, quæ hanc præcesserunt, singulis abunde constat.

2. Et quando idem substitutionem in abolenda pœna vocat omnino & absolute impossibilem, sive ad Dei justitiam, sive ad ipsum peccatorem, sive denique ad liberatorem respiciamus, prodit omnino, se nec justitiæ vindicis naturam, nec peccatoris indolem, nec liberatoris officium cognoscere, sed circa singula ista momenta in magno & multiplici errore, quem superiores Dissertationes detectum discussumque sistunt, versari.

### LOCUS III. §. XVII.

*Justitia Dei (ut eam primo videamus) individua singula præcise respicit, & quid cujusque persone sigillatim, pro ratione ejus quod quisque elegit, veluti retributio ei propria & inherens debeat. Que profecto justitia nulla erit, si quis ejus ideam sequentibus verbis exprimendam velit: Unicuique non ea, quæ elegit, verum alia, quam voluit ipse, eveniant: Idem clarius patescet, quando pœnam peccati, & quidem non tam pœnam sensus, quam damni seu privationis, considerabimus: evidentissime enim liquet, per justitiam Dei fieri non posse, ut alius pro alio lumine atque amore Dei privetur.*

Dis-



## SECTIO POSTERIOR.

25

### Disquisitio hujus loci.

1. Falsissima est illa surrogationis idea, quam Poi-  
retus justitiæ opponit. Eam ignorat ecclesia evangeli-  
ca, sed comminiscitur ἀντιλέγων, ideo quasi cum larva  
quadam pugnans.

2. Vera autem justitiæ idea hæc est: unicuique a Deo  
justo iudice irrogatur pœna, culpæ suæ debita, nisi in-  
tercesserit satisfactio vicaria. Quam qui sibi vera fide  
applicat, illi obvenit, non quod ipse meritus est, sed quod  
in alieno merito quæsit.

3. Verba loci posteriora indignum *confusionis* sophis-  
ma produunt. Confunditur enim *surrogatio* cujuslibet  
hominis mere *humana* cum *surrogatione* θεανθρωπικῆ plane  
*singulari*. De mere humana surrogatione verum est, a-  
lium pro alio lumine & amore Dei privari haud posse,  
omnium minime in æternum. Cujus ἀδυναμία hæc est  
ratio: 1) quod privatio talis in mero homine ad meri-  
tum æternæ salutis in alium transferendum plane nul-  
lam habitura esset proportionem: 2) quod æterna pro-  
priæ salutis jactura sit malum æternum & irreparabile,  
quod nemo pro alterius salute subire tenetur, cum alii  
homines diligendi sint non supra nos cum salutis pro-  
priæ naufragio, sed sicut nos ipsi. Christus vero in per-  
ferenda pœna in locum hominum surrogari potuit si-  
ne salutis suæ ipsius jactura, cum infinitus & æternus  
meritorum valor temporariis perpeffionibus ineffet,  
pœnæ æternæ abolitioni sufficiens. Confer mox dicenda  
ad §. XXII.

### Locus IV. §. XVIII.

Secundo, idem & ex parte peccatoris impossibile est, imo &  
falsum. Peccator enim plene sese a Deo avertere nequit, quin  
D simul



finali Deo, divinoque lumine atque amore privetur: quæ privatius peccati pœna principalis) peccatoribus singulis re ipsa accidit. Atque ita executio, quam divine justitiæ decretum volebat, in peccatoribus singulis eatenus perfecta jam erit, cum singuli pœnam hanc damni re ipsa in sese gerant. Pœnam vero peccati minus principalem seu accessoriam, hoc est, pœnam sensus quod attinet, illa pariter in singulis inhaerenter inveniri debet, non quidem tota ac plena; sed ita tamen, ut miserationem uti fas est desiderabunt, neque necessitatem ejus ac pretium intelligant, neque quantas Liberatori suo gratias debeant, bene scient; neque bonum a malo discernere discant. Ceterum & eventus docuit, neminem eorum, quibus liberatione frui datum est, aliter quam per sensus anxios & dolorificos ad illam admissum fuisse. Atque ita videmus pœnas & effecta justitiæ Dei in personas numero easdem quæ peccaverant, necessitate inevitabili effundî.

#### Disquisitio hujus loci.

1. Argumentum hoc a conditione peccatoris desumptum, jam tum solutum est animadversione antecedenti.
2. Auctor præsumptum pœnæ temporarium, quem peccatum affert, confundit cum plena ejus mensura, peccatoribus æternam obventura: atque ita griphos nectit, argumenti idonei speciem mentientes.
3. Ingens sane error est, istum mali sensum, quem status pœnitentiæ habet, opponere isti malorum sensui, qui in Christo fuit vicarius & piacularis, & ab istius positione ad hujus negationem argumentari. Cujus erroris fons est in negata justitia Dei vindice & in ignorantia peccati reatu, supra Differt. II. III. & IV. detectus.
4. Paragraphus XIX. nihil habet, nisi ejusdem a-

lio.



SECTIO POSTERIOR.

27

liorumque errorum jam tum refutatorum repetitionem, cum commento *exemptionis*, qualem pravæ Auctoris hypotheses formant, conjuncta.

5. Paragraphus XX. cum eadem jam sæpius dictorum *ταυτολογία* agit de duplici exemptione ab æterna pœna, una per intercessionem, qualem Poiretus capite V. jam discusso proponit ac commendat; altera per substitutionem sponsoris, pœna in ipsum translata & ab ipso præ aliis ablata, quam repudiat, contendens translationis terminum, ad quem, esse ipsum nihilum, ipsam oblivionem & oceanum infinitum misericordiæ Dei. Ubi salva esset res, si admitteret Auctor lytron; sed hoc negato misericordiam & oblivionem fingit *ἀντιγραφοῦν*, quod commentum supra aliquot Dissertationibus disjectum est.

6. Et quia negat, pœnam peccati a Christo per substitutionem ipso sensu esse sublatam, hic error gignit eum de pœnis piorum hominum residuis, in hac vita peccati causa perferendis, paternam & medicinalem ipsorum castigationem cum pœna proprie dicta confundens.

7. Quandoquidem vero suæ sibi *ἰσοφωρίας* & *ἐπισημοδασκαλίας* bene erat conscius, hæc adponit: *Quod si qui sint, quibus hæc methodus explicandæ Redemptionis non satisfaciat, aliam sibi quamcunque quaerant: nolint tamen criminari hanc nostram, que tam vera est, quam hominum salutis & honoris Dei consulens.* In qua sententia primum merito sinceritatem mentis desidero. Non ignorat Auctor, universum omnium publicarum confessionum orbem christianum, si a Socinianis discedas, a se dissentire suamque quam commentus est, redemptionem rejicere, & ejus loco statuere, quod res est, & ipsa grammatica vocis, *redemptio*,

D 2

*redemptio,*



*dentio, ἀπολύτρωσις*, notio requirit. Hoc non ignorat; & nihilo tamen minus, imperitis fucum facturus, quasi adhuc incertum esset, utrum aliqui jam dissentirent aut dissenturi essent: *Quod si qui, inquit, sint, quibus hæc methodus explicande Redemptionis non satisfaciat.* Deinde illud etiam minus sincere dicitur, quod additur: *aliam sibi quamcunque querant.* Noverat enim, non querendam demum hic esse aliam methodum, sed tantum tuendam, quæ a Mose, prophetis, ipso Christo & apostolis ipsius ecclesiæ christianæ tradita & in ea per singulorum seculorum decursum usu verbi Dei propagata est. Quando vero subjungit: *nolint tamen criminari hanc nostram*, sui ipsius est immemor, non recordatus, quam indignis modis doctrinam de redemptione evangelicam excipiat & empæctarum ludibrio exponat. Quæ de hypotheseos suæ veritate & utilitate addit, per se concidunt.

8. Ad paragraphum XXI. quod attinet, itidem nihilis continet, quod non jam tum sit abunde discussum, inprimis supra in disquisitione loci III. Prodit se hic denuo πρώτον auctoris ψεύδος in doctrina de peccato, ubi præter inhærens damnum, quod solum pro pœna habet, nullum reatum pœna æterna, sensu eminentiori sic dicta, dignum agnoscit; nec non in doctrina de justitia Dei, ubi omnem vindictam proprie dictam & ad irrogationem pœnæ tendentem negat. Qui error duplex Dissert. II. III. & IV. refutatus est.

9. Paragrapho XXII. sibi ipse, quidquid neget, non parum contrarius, in antecessum commemorat commentum illud de perperisionibus Christi, in eo confidentibus, quod peccati sensum & sollicitationes innumeras e puro amore in se susceperit, eum in finem, ut ad sui  
imi-



SECTIO POSTERIOR.

29

imitationem in superandis intra nos peccatorum tenta-  
 tionibus animum nobis & calcar adderet. Sic admissio u-  
 no absurdo sequuntur plura. Quod posterius peculiari  
 Dissertatione proxime excutietur. Contradictio Aucto-  
 ris hic manifesta est in eo, quod supra quidem recte ne-  
 gavit, quod nemo statuit, scilicet neminem posse pro alio  
 ut eum pium reddat, seu ut ei pietatem infundat, semet  
 ipsum reddere impium, seu privare lucis ac virtutis divi-  
 nae usura, & in sensu peccati per substitutionem alieni  
 peccati poenas luere; aut hoc ipsum justitiam Dei requi-  
 rere, vel permittere: & interea tamen non dubitat ipsi  
 Christo detestabilem hanc voluntariae impietatis, fal-  
 tem passivae, seu in peccati sollicitantis sensu consisten-  
 tis, sortem tribuere, existimans, omnem ab hac hypo-  
 thesi absurditatem & errorem abesse, si dicat, istam Chri-  
 sti sortem non fuisse vicariam per sui pro nobis substitu-  
 tionem, nec eam a justitia Dei fuisse exactam, sed volun-  
 tariam, quam e puro amore ad sui imitationem nobis  
 commendandam subierit. Quod calvae excusationis  
 rectorium in quanta foeditate, prudentioribus omnibus  
 conspicua, incrustati erroris parietem, ut ita loquar, re-  
 linquat, quis non animadvertit? Et quamvis ab omni  
 substitutionis notione in dogmate de poenis penitus ab-  
 horreat auctor, non dubitat tamen illis Christi perpes-  
 sionibus, quas in devicto intra ipsum peccato irritante po-  
 nit, hunc etiam scopum tribuere, quod *mala nostra isdem  
 ulro mitigare voluerit*. Quae tamen mitigatio quomodo si-  
 ne ordine substitutionis & imputationis locum habere  
 possit, non video. Nam de operatione transitiva hic non  
 est sermo.

LOCUS V. §. XXIII.

*Quandoquidem autem haec ab hominibus quibusdam timidi-*  
 D 3 *oribus*



oribus in suspicionem vocari possunt, hinc bona fide Deum hominesque omnes testor, quod nulla ratione vel meritis vel glorie infinitae Liberatoris quicquam detractum velim, qui nihil ei, nec minimum quidem boni, aut realitatem minimam subduco; sed omnia ex pura ipsius gratia proficisci fateor. Spero etiam, me in sequentibus idem tam aperte demonstraturum esse, ut nemini dubium ea de re superstiti. Non possum tamen quin vehementer de plorem, homines ad explicandum modum redemptionis esse invenisse, quae justitiam Dei & officium hominis penitus obscurant ac deturpant, quaeque animis amore proprio refertis tantum periculi asserunt, ut pro certo habeam, aliquot millena millia per res has male explicatas maleque intellectas aeterna morte periisse. Satius utique fuisset eas ita intelligere, ita explicare, ut homines non excimerentur, sed inducerentur ad patiendum & ad persequenda fideliter vestigia Liberatoris sui sub pana mortis aeternae, in qua omnes naturaliter jacent, antequam Liberator accedat. Verum quoniam hoc ipsum maxime animis quibusdam incertis & vacillantibus suspectum videbitur, jam nunc declaro, me summopere abominari Socinianorum doctrinam, quae nec necessitatem Jesu Christi Liberatoris, neque magnitudinem & efficaciam infinitam meritorum ipsius, neque Divinitatem ejus aeternam (quae necessaria est ad faciendum opus Redemptionis nostrae,) imo neque fundum miserie & aegritudinis humanae, neque verum ejus remedium, gratiam Dei internam, agnoscit. Nolui multum temporis in impiis eorum scriptis legendis perdere; verum pauca illa, quae illic vidi, sufficiunt, ut certo pronunciare possim, homines hosce caecos nunquam Dei Lumen vidisse, & non esse nisi mancipia quaedam miserrima Rationis humanae corruptae & a Satana excecatae.

#### Disquisitionis hujus loci.

I. Incongruum est, ingenuos nec imperitos evangelicae veritatis assertores timidiore, eorumque improbationem Poiretiani erroris manifestam suspicionem vocare.

2. So-



SECTIO POSTERIOR.

38

2. Solennis illa Pireti protestatio ipsi facta omnino est contraria, e bona quidem fide, sed tali, quæ erroneæ conscientiæ synonymon est, profecta.

3. Omnia vult in solidum referri ad gratiam Christi, & negat tamen lytron ejus forense, omnis veræ gratiæ causam, omnem gratiæ notionem in sola charismatum effusione & infusione collocans. Qui tamen effectus nullus est, nisi supposita ejus causa, redemptione forensi. Hæc enim parit gratiam forenssem, & forensis demum medicinalem, quæ infusione exferitur. Atque ita Piretus id, quod in evangelio præcipuum est, obscurat, immo penitus negat, & ex orbe christiano it eliminatum.

4. Demonstratio in sequentibus promissa ita comparata est, ut magis magisque conspicuum reddat, non alienum aliquod assumentum evangelio asseri, sed tantum non plane novum prædicari evangelium: quod ut novitate plane est insolens & inauditum antea, sic absurditate ac *vanitas* sua semet ipsum destruit, ad sacrarum litterarum normam & genuinam evangelicæ veritatis analogiam exactum.

5. Vehemens ista Auctoris deploratio, qua doctrinam de justitia Dei vindicæ & officio hominis, ab universo orbe christiano, qua purior est, receptam prosequitur, est inconsulta. Utinam pro ea fecum habitasset ipse, turpemque suam purioris doctrinæ obscuracionem & depravationem *εὐμετανοήτως* agnovisset!

6. Totum vero hujus *εὐκλῆματ* Piretiani præsidium est in manifesto illo sophismate, quo dogma ecclesiæ christianæ de substitutione Christi ita interpretatur, ac si illud per se & ex ipsa ecclesiæ confessione introduceret exclusionem officiorum hominis, quæ ad renovationis ordinem pertinent. Qua ratione turpissimum hujus dogmatis abusum cum ipso ejusdem usu vere evangelico indignis modis confundit, clamitans, per doctrinam istam multa millena millia æterna morte perire. Cui grandi præjudicio, aut potius confusio- nis sophismati, statim ab initio integra Dissertatio Dodecadis prioris prima opposita, eaque evictum est, doctrinam Pireto tantopere invisam genuinum omnis veræ pietatis fontem ac incitamentum esse.

7. Protestatio Socinianismo opposita, quam latentior vulneratæ conscientiæ stimulus Auctori expressisse videtur, itidem facta plane est contraria. Etsi enim is in doctrina de persona Christi, nec

non



non in ea de labe peccati originis & de necessitate gratiæ medicinalis a Socinianis dissentiat, (quod ipsi largior) tamen in *dogmatibus de justitia Dei vindice & de peccatorum culpa ac reatu & penis*, nec non de *eorundem imputatione & expiatione*, seu *satisfactione*, tam *typica*, quam *antitypica*, atque ita in ipso *centro doctrine christiane*, omnino est Socinianus, qui Socini, errores adoptavit, eos tamen aliis subinde coloribus exornare sategit, cum Sociniani sensum justificationis forensis, proprie sic dictum, in quantum eum doctrina de satisfactione gignit, pernegans. Immo Poiretus in dogmate de Christi infirmitatibus & perpellionibus fovet hypotheses ipsis Socinianorum hypothesibus deteriores.

8. Verum est, Socinianos esse lumine Dei cassos, & mancipia quadam miserrima & a Satana excecata rationis. Sed utinam Auctor noster non factus esset mancipium Burignonianæ phantasiæ ac dictaturæ; sic nec per hanc ipsam tot Sociniani systematis errores adoptasset, seu in eosdem, vel nesciens eos Socinianos esse, incidisset.

9. In iis, quæ allegatum locum proxime sequuntur, auctor exiſtimat, nonnullos, ut *adversus Socinianos divinitatem Christi probare possent, incidisse in scholasticam explicationem de redemptione, κ. τ. λ.* sed conjectura & suspicio hæc est ad criminationis affinitatem accedens. Cum enim redemptionis forensis dogma omnium sit christianorum per singula secula, falsum est, illud scholasticæ deberi explanationi: falsum est, in eam nonnullos incidisse. Nec dogma de divinitate Christi æterna argumento ab infinito valoris satisfactione desumpto ita eget, ut sine eo adversus Socinianos demonstrari nequeat; ex aliis vero argumentorum classibus abunde demonstratum opere hoc redemptionis plane divino non immerito confirmatur.

10. Paragraphus capituli IV. ultimus nihil fere habet nisi *ἀνακρίσεις* *Φαλαίσσιον* tractatorum & hætenus examinerum. Quorum nervum Auctor refert ad hanc propositionem, emphaseos causa majusculis litteris expressam: *Bonitas Dei potens, eaque sola, per infusionem luminis fidei ardorisque charitatis peccatum, sive peccati penam tollere potest*: h. e. justitia & gratia Dei forensis, peccati culpæ & pœnæ opposita, penitus negata & sublata, omnia referenda sunt ad gratiam medicinalem, in hærentis peccati damno medentem. Qui nucleus est totius pseudotheologiæ Poiretianæ.



JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757




st

Ms 18

Ms 18











36

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DECIMA,  
QVA  
DOCTRINA EVANGELICA  
DE  
**CHRISTI INTER-  
VENTIONE, MERITO  
ATQVE INTERCESSIONE  
AC SUBSTITUTIONE,**

A VIRI CL. PETRI POIRETI  
ERRORIBUS AC CORRUPTELIS  
VINDICATUR:

IN REGIA FRIDERICIANA

*Die Jan. hujus M DCC XX anni*

SUB PRÆSIDIO

**D. JOACHIMI LANGII,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.

in actu disputationis publico defensa

*am.*

A RESPONDENTE

**JO. WILHELMO HARTMANNO,**  
TANNENSI FRANCO, S. LITT. CULT.

HALÆ MAGDEBURGICÆ.

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

